

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Ad Encænïa Gymnasii Elbingensis, Prid. Calend. Dec. A.O.R.
MDCCXIX. horis à IX. matutinis, solenni ritu celebranda,
Patrones Et Fautores Qua decet, ...**

Koitzsch, Christian Jacob

Elbingae, [1719?]

VD18 13459627

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197261



* * *

Ora vita Hominis est anigma;
non a Sphinge ficticia ad illaqueandum,
sed a coelesti Sapientia ad erudiendum,
mortalibus propositum:
ut videntes, se non videre intelligant;
Sapientes sapere desinant, ut sapiant.
Sistitur enim ille
Quadrupes in statu ruditatis,
Bipes in statu honestatis,
Tripes in statu sanctitatis:
In quo conspicienda
sapiens simplicitas,
dives paupertas,
fortis imbecillitas,
honorifica ignominia,
hilaris tristitia,
lætum letum.
In hoc anigmate solven do
ratio cecutit,
prudentia fluctuat,
astucia delirat;
sola fides sapiens triumphat.
Hunc enim nodum Gordium
acies gladii, non ingeni, resolvit;
nec ambitione tumentis, ferocisque Alexandri;
sed ardentis Spiritu, mansuetique Salomonis:
non in sano superstitionis,
nec in profano irreligiositatis,
sed in templo sanctitatis.

In

In hoc sacrario,
Rex Salomone sapientior,
Sapientum Moderator,
Sapientiæ Thesaurus,
Assapho scrupulos,
Davidi perplexitates,
Jeremiæ nodos,
Reginæ anigmata,
aliis alia, quæ mentis cœcitas dubia pepererat,
resolvit, enodavit, exemit.

In his adytis,
non David magis, quam Dominus Davidis,
os suum sanctissimum aperiens,
parabolis & anigmatibus,
gravissima regni cœlestis mysteria exponit:
quæ non intellecta à vulgo contemptore,
seorsum explicantur rogantibus discipulis,
quibus cœlitus datum est, cupidè sciscitari.
Sic enim demisit se Sapientiæ æternæ sublimitas
nostram ad infantiam,
ut typis, parabolis, figuris, anigmatibus,
quodammodo nobiscum luderet,
& hoc luto interiores nostros oculos curaret,
fastidium animo ejiceret,
porcorum irrisioni, canumque sævitiæ
margaritam subgugeret.

Hinc
radiantibus ipsis umbris, lucentibusque tenebris,
a cordatis anigmatum conjectoribus
agnoscitur imperscrutabile,
creditur improbabile,
speratur inopinabile,
impetratur interminabile.

Nostra solennitas Encaniorum.
 Testis benignitatis divinæ erga hanc civitatem
 postremo loco neutiquam habendæ,
familiaris Ecclesiæ cum Musis contubernii,
 anno M. D. XCIX, volente ac prosperante Deo, ini-
 crastino die celebranda redit.
 Hæc ænigmatibus instructam studiosam juventutem
 in arena sistet:
 ut, soluto rursus annuo ænigmate, admoneatur,
 ad sequentia rite resolvenda animum componere,
 divinæ sapientiæ benignitatem celebrare,
 in Ludo literario cum fructu ludere,
 consuetudinis fastidium elidere,
 falsæ sapientiæ lenocinia eludere.
 Nam ut hæc olim elusa est,
 fortissimi, dum saperet, Simsonis
 ænigmate:
 ita hodieque eadem eluditur
 simplicitate parvulorum;
 in quorum ore ad ulciscendum inimicum sibi robur
 Sapientia fundavit;
 cum in nuptiis
Simsonis cum Philistæa,
 mel sapientiæ, ænigmate oblatum,
 clarè agnoscitur,
 avidè gustatur,
 ritè in succum & sanguinem convertitur.
 Nam ex mortui Leonis ore mel dulcissimum
 adhuc promanat.
 Nec verè hoc Simsonis ænigma alii resolvunt,
 nisi qui Sponsi arant virulò,
 Sponsa lacrymis solutionem impetrante.

Quo

Quo factò,
 Solventibus sunt præmia parata,
 Dona gratiæ,
 Sindones innocentia, 21
 Vestimenta iustitiæ.
 Queis qui sunt vestiti, sunt verè eruditi.
 Nostra ænigmata
Aquas referent Elbingenses:
 easque turbatas, ut in turbidis liceat piscari.
 Sic enim simul mentes instruent, quæ corpus pascunt,
 aquæ aquas adumbrantes.
 Ad hos latice contemplandos,
PATRES PATRIÆ, MÆCENATES,
NUTRICIOS
 summopere Colendos,
GENEROSOS SCHOLARCHAS,
MAGNIFICOS PRÆCONSULES,
AMPLISSIMOS CONSULES,
 Honoratissimos FAUTORES,
 Dilectissimos AMICOS,
 submisit, reverenter, humaniter
 invitamus:
 aquis turbidis serenas mentes,
 undis ludicris benignos vultus,
 fluminibus laudum, Deo dicendarum, animos devotos
 ut adferant, roante,
 Faxit Numen sanctissimum,
 ut aquam vitæ ex salutis fonte haurientes,
 vitæ scaturiginem animis concipiamus;
 nec unquam doctrinis optimis scaterere desinat
 Parnassus Elbingensis,

ÆNIGMATA EXPLICANDA.

1. **S**emper ut ima peto, sic semper ad æthera surgo:
Sunt meliora poli, sunt sequiora soli.
2. Parvo sum genitus, major genitore, minorque
longe atavo: haud morior; sed fuga vita mea est.
3. Me frater genuit major, sine matre minorem:
exul jam dudum, regna aliena colo.
Pristina cum repeto mea regna, repellor ut hostis:
perpetuo at clausus carcere, liber eo.
4. Immotus propero, molli sum corpore durus:
dum claudor, pateo; dum lateo, videor.
5. Quam mater peperit, pario ipsam ego filia matrem:
ut vivat, morior; quo pariam, pereor.
6. Durus eram placidus, mitescens savio valde:
dum frangor, frango; dum pereor, perimo.
7. Regna aliena tenens, non sum, quod nomine dicor,
regue quod antea eram, nec quod ego esse volo.
Nulli sum gratus, vitam mihi nemo precatur:
servio, sed paucis servitiô placeo.
Perpetuo fugiens, ingratus nominor hospes:
tandem præclusis faucibus intereo.
8. Ne tauro occurras, cornu ferit ille, caveto:
cornua, queis feriat, quattuor iste gerit.
9. Nili fons laret, heu! caput haud se prodidit ulli:
corpus erit salvum, si caput invenias.
10. Qua parte ima peto videor; qua surgo, recondor:
cum taceo, clamo; cum pereor, reparo.
11. Ille ego, quem cernis, sum Achelous ab Hercule victus:
quattuor ille mihi cornua surripuit.
12. En erepta novis opibus sunt cornua plena,
munere cœlesti cornua copiarum habes.

11. Ille

- Fac ergo, ut pinguis cadat hostia Numini amanti;
spiritus exun'ans hostia pinguis erit.
13. Qui tibi savus erat, jam conciliatur amicus:
fallaci nimium credere, quæso, cave.
Quin tibi concilia, mundi qui gestat habenas,
Cujus perpetuo est certa fides & amor.
14. Multis sum magnus parvis genitoribus ortus:
ipse habeo natum, matre sed ille caret.
Molli porto humero sylvam, & vernantia prata:
dumque premo plantas, me quoque planta premit.
Quotidie multum vapulo, dum servio multis:
& pedibus calcor, cum latebras subii.
Æqua mente fero, rescantur cum mihi crines,
& vi, vel furto cum rapiuntur opes.
Interdum irascor; vana est sine viribus ira est:
ni forte iratum vis aliena agitet.
Nam prodesse meis copiis, quam ledere, malo:
hinc me, non facile est, qui periisse velit.
15. Est patriâ major tumulus mihi, vitæque segnis:
hinc domino utilior, commoda multa paro.
Musas præteriens solertes sæpe saluto:
nec tamen unquam illas visere sustineo.
Nunquam turrigera veniens ex urbe revertor;
attamen assidue multa reporto ad eam.
Infirmus firmo robur, fortissima servans;
& molli gremio duritiam tueor.
Assidue purgor, ne sit, quod commoda turbet,
nec morbi teneat viscera causa latens.
Sic didici prodesse, irasci nescius unquam:
quæ per me veniunt, haud ego damna paro.
16. Non vagor effrenis, patior sed frena regentis;
hinc operas solers perficio varias.

Quan.

- Quamquam sum parvus, tamen & sum robore magnus:
non lassor, vel opus continuo faciens.
Servio permultis dominis, quibus sufficio unus:
rusticus urbanas apparo delicias.
Vis longe est major constricti ad munia larga,
quam cum laxaret fluxa licentia iter.
Perpetuo jubeor potiora invisere tecta,
hospiti & accepto semper adesse licet.
His tamen haud capior, servus sed transeo tantum,
ad metam properans, quo mea fata vocant.
17. Scire cupis quid sim? Sum monstrum nomine, non re,
Nam caput est piscis, neptem habet ast reliquum,
Vivis destruo iter, sed idem do mortuo apertum:
per latus alterius quem peto, non violo.
18. Parva relegati me dudum rudera cernis:
nomen scire placet? significabo libens:
Si demis mihi cor, miserum, quod restat, habebis:
affligens etenim, viva ego, semper eram.
Mortua nunc jaceo, reputor nec digna sepulchro:
ut vel in exuviis, quæ reliqua, eripiant.
19. Evomo per longum collum mea munera largè:
in deserto habitans, clara forum celebros.
20. Rosbusia celebri in terra, haud procul urbe Glebina,
Nobilis, haud alto, sed vasto corpore præstans,
ruri habitat. Nam tres habeant civem licet urbes;
rus tamen his præfert, quale haud proscindit aratrum,
nec gramen vestit, decorat nec floribus hortus.
Ætate is dudum superavit Nestoris annos:
attamen est juvenis; quia nondum ruga senilis
aravit vultum, nec virtus corpore cessit.
Helluo potando jungit noctesque diesque:
nec tamen ebrietas caput ejus prægravat unquam.

Haud

Haud tenera perdice, haud turdis vescitur ullis,
haud aliis dapibus, gratum quas condit aroma:
abstinet à mulso, vinoque abstemius omni:
vicinis donans, quicquid confertur ad ipsum.
Sola aqua nutrit eum, sola hac se servat alicque:
hanc bibit & vigilans, & somnò membra sepultus.
Nam gravis interdum victos sopor obruit artus:
inprimis longis cum nox producitur umbris:
nec prius è somno evigilat, nisi quando putrescens;
quod texit stratum, dilabi corpore cœpit:
tunc vigilans rursus vultus ostendit amœnos.
Interdum fœvas commotus surgit in iras;
clamores tollens ad cœlum, & cote propinquos
insectans lubrica, qualem noctu ipse paravit.
Una illum virtus, donandi prompta voluntas,
ornat, qua multos sibi conciliavit amicos.
Dat sua cuncta aliis; fert aqua mente rapinam;
nec raptori opibus facillè indignatur ademptis.
Fratri majori, quamvis instructior ille
sit cumulo rerum, diversaque indole ab ipso
dissideat multum, largus tamen omnia donat.
Nec dum multa aliis largitur, rebus egere
incipit unquam ullis, queis est opus. Omnia dando,
omnia consequitur: dum donat, semper abundat.
Nam rapere, haud dare opes, est fortis mater iniquæ.
Sic gratus multis, invisus non fuit unquam:
Nec senio reputat fore conficiatur ut ægro,
continuum sibi promittens per secula vitam.
Epilogus. Claudite jam rivos, Pandora pyxide clausa:
Pandite claudenti quisque fluentia simul.

B

ELEN-

ELENCHUS DICENDORUM.

Prologum præmittet *Jacobus Voit*, Elbing.

ÆNIGMATA EXPLICABUNT,

1. De Fluvio, inde Christiani indolem descripturus, *Matthias Matthison*, Elb.
Invitante *Davide Grobio*, Aldfeld, Mariæburgensi.
Præeunte verba ænigmatis, *Christiano Reinb. Engelcke*/Elb.
2. De Vistula, & per applicationem, de ingenuo studiorum Cultore, *Samuel Roggius*, Elb.
Provocante *Andrea Henningio*, Elb.
3. De Nogato, aggeribus munito, applicando ad ferociam disciplinâ coercendam, *Christianus Liep*, Elb.
Præmittente ænigma *Samuele Eggerto*, Elb.
4. De eodem congelato, prudentiam studiosi referente, *Samuel Laurentius*, Elb.
Occasionem dicendi offerente *Tobiâ Kühnio*, Elb.
5. De Glacie, sapientiam Doctoris præfigurante, *Henricus Rhodius*, Elb.
Invitante *Jacobo Roskampff*, Elb.
6. De Nogato regelato, adumbrante hominem in adversis modestum, at in prosperis ferocem, *Job. Frieder. Marschal*, Cazen. Mariæburg.
Intimante *Godofredo Kaveran*, Elb.
7. De eodem exundante, eoque miseram improborum conditionem exprimente, *Georgius Stellmacher*, Elb.
Interrogante *Davide Vorloff*, Elb.
8. De eodem agros inundante, cum adhortatione ad patientiam, *Thomas Achenal*, Elb.
Explicationem petente, *Francisco Adamo Rhodio*, Elb.
9. De

9. De non agnita causa inundationis, cum hortatione ad
pœnitentiam, *Christianus Strobant*, Elb.
Evocante *Job. Lichotio*, Elb.
10. De lacrymis, pœnitentiæ indicibus, & vero remedio ma-
lorum, *Daniel Mündler*, Elb.
Compellante *Job. Roskamp*, Elb.
11. De aggeris reparatione, effigie juvenis ad frugem revo-
cati, *Job. Riggins*, Elb.
Rogante *Mauritio Wilhelmo Durbano*, Elb.
12. De agrorum restitutione, cum exhortatione ad gratam
beneficii memoriam, *Christ. Reinh. Willamovius*, Gil-
genburg. Pruss.
Provocante *Andrea Acantho*, Elb.
13. De necessaria præcautione, nec non de prudentia erga
inimicum reconciliatum, *Job. Sigism. Jungschulz*, Elb.
Admonente *Carolo Godofredo Meyero*, Potsdam. March.
14. De lacu Drauseno, effigie hominis benefici, & patientis,
Job. Mauritius Møller, Elb.
Dicendi occasione factâ à *Jac. Gottlieb Græbero*, Regiom.
15. De Elbingâ fluvio, viri boni imagine, *Isaacus Feyerabend*,
Elbing.
Materiâ oblatâ à *Godofredo Rulcovio*, Elb.
16. De Hummelia, adumbrante industriam studiosi,
Franciscus J. c. de Putkamer, Nobil. Pomeran.
Monente *Job. Henr. Conradi*, Elb.
17. De Fischavia amne, ex quo describet voluptuosum, *Job.*
Theophil. Bullinger, Uratislavia-Siles.
Interrogante *Gottardo Göbelio*, Elb.
18. De Nogato veteri, imagine hominis ignavi, vel civiliter
mortui, *Martinus Hoffmannus*, Hammersteinia-Pruss.
Præmissio anigmate à *Georgio Raphaële Rhodio*, Elb.

19. De

:

19. De piscina, aquam per canales in urbem mittente; imagine eruditi scriptis clari, *Constantinus Christianus Marschall* / Cazen. Mariaburg.
Præmonente *Joh. Ferdinando Jungschultzio*, Elb.
20. De Sinu aquæ dulcis, f. Habo, *Samuel Rienast* / Elb.
Ex quo ideam hominis frugi & liberalis delineabit
Andreas Bauch / Elb.
Præeuntibus ænigma, *Christiano Zeidler*, Elb. *Joh. Bergmann*, Elb. *Jacobo Matthiesio*, Elb. *Daniele Libelt* / Lublinensi Polono. *Johanne Langio*, Elb. *Christiano Kockamp* / Elb.
21. Echo ænigmate describent, *Joh. Jacob. Behring* / Elb. & *Samuel Stierner* / Elb.
22. Ænigmatibus brevissimis colloquentur de
(a) Schola, *Martinus Bergau* / & *Joh. Hopp* / Elb.
(b) Felicitate & lingua, *Christoph. Nagge* / & *Johan. Hoffmann* / Elb.
(c) Ore & Bibace, *Johan. Sigismund. Prætorius*, & *Jacob. Eberfeld* / Elb.
(d) Somniantes, & mansuetos, *Joh. Rittersdorff* / & *Joh. Gutt* / Elb.
(e) Adamo, & vita æterna, *Samuel Tamnitius*, & *Ad. Paul. Schöpfel* / Elb.
(f) Aqua vitæ, & rota molari, *Joh. Gerlitius*, & *Andreas Krausius*, Elb.
23. Ænigma de finiendo actu, & gratiis DEO agendis, proponet *Israël Hoppius*, Elb.
Solvat, eoque actum finiet, *Elias Görsche* / Elb.

